

**Justus Christianus Loder, D. Solemnia inauguralia praenobilissimi
medicinae candidati F.G.A. Jacobi ... indicit. Praemittitur Commentationis
de vaginae uteri procidentia particula III / [Justus Christian von Loder].**

Contributors

Loder, Just Christian von, 1753-1832.
Universität Jena.

Publication/Creation

Jenae : Litteris Fickelscherrianis, 1781.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/kgm7m7mr>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

ORDINIS MEDICI IENENSIS DECANVS

IVSTVS CHRISTIANVS LODER, D.

SOLEMNIA INAUGVRALIA

PRAENOBILISSIMI MEDICINAE CANDIDATI

FRANCISCI GVILIELMI ANTONII

I A C O B I

HATZFELDENSIS

I N D I C I T


Praemittitur Commentationis *de vaginae uteri procidentia*
particula III.

I E N A E
LITTERIS FICKELSCHERRIANIS.
c1o1o cc lxxxi.





*)


 Si partem externe propendentem inflammatio occupavit vel tumor, opus est ante omnia, ut haec ipsa inflammatio et intumescencia fomentationibus emollientibus aliisque remediis idoneis, tum externis tum internis, prius tollatur, quam reponendi prolapsus periculum fiat. Idem quoque valet de gangraena et sphacelo, quibus suis remediis obuiam eundum est.

Fieri autem potest, ut integer prolapsus sphacelo infectetur, adeo, ut medicamentis, quotquot adhibeantur, non cedat. Unicum quod hoc in casu superest auxilium in eo consistit, ut, quae plane destructa est pars, cultro vel deli-

A 2

gatio-

*) Erratum typographicum, quod in Programma, cui praemissa est Commentationis nostrae *de vaginae uteri procidentia* particula II, irrepsit, ita emendetur, ut pag. 3. lin. ultima legatur: *partus retardatio, prolapsae partis facillima inflammatio, quam vel etc.*



gatione auferatur, id quod nonnullis, qui similes casus obseruarunt, egregie successit *).

Iam vero, si reposita est interna vaginae tunica, in id intendendum est, vt, quo minus vaginae tunica denuo elabi possit, impediatur. Quam ob rem aegrotae imperandum est, vt per aliquot hebdomades lecto sese contineat, pedibus sibi inuicem iunctis vel decussatim positis, atque vt quiesca sit, omnesque corporis agitationes euitet, iisque cibis, qui aluum laxiorem reddunt, vtatur. Ipsa autem vagina eo tempore, vbi nec menses nec vteri purgamenta fluunt, vel suffimentis adstringentibus infundibuli ope admotis, vel, quod melius conuenit, decoctis roborantibus et adstringentibus per syringam injectis aut linteo conuoluto adplicatis in pristinum vigorem suum restituatur, deinde vero, vbi haec non sufficiunt, vel spleniis et fascia Heliodori genitalia contineantur, vel pessarium oblongum planum, aut vero longius et cylindricum vaginae immittatur necesse est.


Quodsi itaque haec auxilia per sufficiens tempus adhibeantur, malumque recens sit nec summum gradum attigerit, non palliativa tantummodo curatio, sed et radicalis saepe perficitur, ita, vt remoto adeo pessario, ipsa tamen interna vaginae tunica in loco suo naturali sese contineat, praesertim si femi-

*) Vide de his plura apud MEEKRENIUM in *Chirurgisch- und geneskünftigen Anmerkungen*, cap. LI, p. 325. sqq.



femina, quae eiusmodi malo olim laborauerat, vehementiori corporis agitatione et nisu abstineat. Quod sequitur exemplum, ea quae diximus, confirmabit. Mulier B... in vrbe Vi-nariensi degens, annos XXIV nata, vaginae laborauerat relaxatione, quae post partum in procidentiam vniuersalem et completam mutata, ab obstetrice statim reposita quidem fuerat, sed, quum saepissime denuo excideret, molestiam ipsi inferebat. Venit igitur ad me mense Octobr. 1779. petiitque vt ipsam hoc malo liberarem. Praescripsi huic feminae diaetam ipsi conuenientem, iussique illam, vt, quantum fieri posset, lecto sese contineret, aut tamen pedibus non insisteret nec iis diu ingrederetur. Formulam ipsi insuper dedi, decocti vinosi, ex radice tormentillae atque bistortae, cortice querci, floribus balaustrorum, rel. compositi, quo ita vteretur, vt illud tum in vaginam syringae ope iniiceret, tum quoque lin-teo in formam cylindricam conuoluto vaginae adplicaret. Post aliquod demum tempus pessarium oblongum planum, quo plerumque vti soleo, in vaginam immisi, feminamque iussi, vt medicamentis quidem abstineret, quascunque vero corporis agitationes et commotiones vehementiores de indu-stria euitaret. Quod cum per dimidium fere anni fecisset, pessarii vsu tandem pertaesa illud remouit, nullamque, vt mihi repetitis vicibus retulit, postea vaginae procidentiam aut relaxationem sensit.

Cum vero eadem haec remedia ad curationem radicalem prolapsus inueterati et praegrandis non sufficiant, aliam hoc



in casu viam suavit Cl. BERCHELMANN *), cui laus sua denegari nequit. Vidit nempe Vir clariss. feminam, quae vteri procidentia nullis remediis cedente laborauerat, tandemque, tum morbi ipsius tum quoque curationis methodi pertaesa, ipsam vteri substantiam cultro laeserat; qua ex laesione cum enata esset ingens haemorrhagia, sensim sensimque detumuit vterus, suumque in locum naturalem, quem postea nunquam deseruit, sponte recessit. Quod cum aliis quoque feminis eodem malo laborantibus egregie successisset, occasionem praebuit clariss. Viro, eam curationis methodum propius inuestigandi, illamque non in vteri solum procidentia sed et in vaginae prolapsu commendandi, ea tamen restrictione, ut cucurbitularum applicationem incisioni praeferret. — Huc quoque pertinere videtur observatio, quam olim me legere **) memini, Clarissimi PIETSCH, qui ad mulierem gravidam vocatus animaduertit vaginam ad quinque fere pollicum longitudinem e verendis dependentem, eamque infantis brachium iam prolapsum continentem. Versione igitur fetum pedibus extrahere studuit, id quod ipsi successit, ita tamen, ut vaginae propendens tunica secundum longitudinem dilaceraretur. Partu finito prolapsum reposuit ipsique tepi-

*) Epitomen eius scripti legi in *Medicin. Commentarien von einer Gesellschaft der Aerzte zu Edinburgh*, Tom. II, part. I. p. 38.

**) *Journal de Médecine, Chirurgie etc.* par M. ROUX Tom. XXXIV. Conf. RICHTER, Viri Ill. *Chirurgische Bibliothek*, Vol. I. part. I. p. 5.

tepidas fomentationes ex vino paratas adplicavit, quibus breui tempore curationem mali radicalem absoluit.

Ex hisce igitur exemplis satis patebit, qualem usum ab illa medendi methodo, quam Cl. BERCHELMANN proposuit, expectare liceat. Cautae incisiones (has enim cucurbitularum adplicationi praeferrem) eadem ex ratione, qua venae-sectio localis, sese commendant: detrahunt nempe cruorem in affecta parte accumulatum, tollunt inflammationem et gangraenam imminuentem, minuunt tumorem, et ob recentia, quae efficiunt vulnuscula, firmiorem tunicae vaginae internae cum ipsa vagina concretionem promouent, ideoque radicalem morbi curationem producere valent. Iisdem etiam ex rationibus explicari potest, qui factum sit, ut praecipua, quae apud auctores leguntur curationis radicalis exempla, eiusmodi sint, ubi prolapsui, qui sphacelo iam correptus deprehenderetur, incisionibus succurrendum erat, ne sphacelo consumeretur; quod autem dum fieret, ipsae incisiones in causa erant, ut cum sphacelo prolapsus etiam radicali curatione tolleretur.

Sufficiant haec de prolapsus vaginae curatione. Restat vero, ut breuibus ea exponamus, quae apud feminas eidem malo obnoxias partus tempore obseruanda sint.

Primum igitur, ad quod animum attendere debet Medicus, in eo consistit, ut parturiens supina in lecto decumbat validisque ad promouendum partum nisibus abstineat. Tum
ei




ei statim prolapsus reponatur, vrina, si quidem vesica distenta est, catheteris ope educatur, et intestinum rectum, si opus est, clysmate emolliente expurgetur. Deinde, cum infantis caput iam in vaginam descendit, vagina sub ipsis doloribus digiti indicis ope a quouis latere reprimatur, atque nato et educto capite humeri soluantur fetusque corpusculum caute educatur. Partu denique infantis finito placenta decorticationis ope, non vero funiculi tractione, soluatur.

Haec ea sunt, quae Medicus ab initio partus praesens obseruare debet. Differens vero est ratio, si tum accedit, quando praeuia infantis pars iam ipsum vaginae prolapsum intrauit, illumque sacci propendentis in modum dilatauit. Tunc enim nullum superest auxilium, quam vt vaginae prolapsus a ministro retineatur, et infans ipse vel, si eius situs peruersus est, pedibus extrahatur, id quod Cl. PIETSCH in casu supra memorato fecit, vel, si caput praeuium est, forcipis circumspecto vsu educatur; quo facto prolapsus, quam primum id fieri potest, reponatur necesse est. Forcipis in hoc casu applicatio, quia infantis caput minuit, egregie iuuat, nec, si cautus eius est vsus et si prolapsus a ministro bene retinetur, vllum incommodum relinquit, vti docet obseruatio, quam nostri commentationi adiacere supra iam promissimus.

Vxor opificis H... nostra in vrbe degentis, cachectica, ante nuptias per aliquod tempus iam laborauerat fluore albo benigno, et vaginae relaxatione ponderis grauioris eleuatione enata. Nupta deinde viro concepit et absque difficultate pepe-



peperit infantem mortuum. Post partum increuit vaginae prolapsus, et, licet reponeretur, sub quavis fere corporis agitatione tamen denuo excidit. Integro anno elapso iterum concepit et infantem peperit, viuum dum in vaginae prolapsu haereret, vita autem, ante quam educi posset, decedentem. Increuit a partu vaginae prolapsus et non absque dolore, adhibitis antea fomentationibus emollientibus, repositus est. Tertia denique vice grauida annum cum ageret vigesimum nonum, primos ad partum dolores sensit die 26. Aprilis 1789 vesperem versus. Obstetrix quae binis iam vicibus opem ipsi tulerat, ideoque ipsius vaginae procidentiam non ignorabat, in usum vocata, sub initium ipsi permisit tum ambulare tum pro lubitu lecto decumbere; deinde vero, rediens, fella insidere eam iussit. Quod cum per aliquot horas parturiens fecisset, increuit vaginae prolapsus, ita, vt tumorem fatis conspicuum, antea pudendorum labia formaret, de quo tamen obstetrix non sollicita sibi atque aliis persuadere studuit, fore, vt breui tempore infans in lucem prodeat. Sic res sese habuit vsque ad diem insequentem. Tum vero misera ob acutissimum in prolapsa parte doloris sensum iteratis vicibus obstetricem iussit, vt me adiret peteretque vt ipsi subuenirem, id quod illa, inuita tamen, denique fecit. Hora erat decima ante meridiem, cum me adiret. Ego, vero statim me ad puerperam contuli, eamque valde inquietam et vehementissimo dolore adfectam inueni. Pulsus erat durus et celer, vaginae prolapsus adulti hominis caput magnitudine superabat, aderantque iam in dextro eius latere pustulae limpi-



do humore repletae. Dolores ad partum nondum plane cessaerant, redeuntes vero cruciatus sensum valde augebant. Caput infantis, cum digiti apicem prolapsus orificio immitterem, tactui sese offerebat, adeoque extra genitalia externa in ipso prolapsus tumore haerebat. Quibus omnibus igitur exploratis et animo rite perpensis, forcipem prolapsui immittendum caputque infantis ita extrahendum esse censeui. Sic enim partum diu iam protractum breui absoluere sperabam. Spei respondit euentus: facile enim, adiuuante obstetrice, quae prolapsum digitis retinebat, caput infantis et deinde integrum eius corpusculum, non tamen absque parturientis ingrato sensu, extraxi, parentibusque nouam laetitia eamque summam attuli puellae adspectu, quae dum haec scribo adhuc in vita est et bene se habet. Placentam deinde deglubere haud neglexi. Quo facto puerperae quietem commendaui, ipsique potionem antiphlogisticam quauis hora sumendam et fomentationes emollientes externe adhibendas praescripsi. Quibus remediis in usum rite vocatis, prolapsus detumescere sensusque doloris remittere incepit, ita, ut insequenti die repositionem instituere potuerim. Nulla deinde remedia externa per aliquot dies adhibui; tandem vero, cessante lochiorum fluxu, curationem morbi, remediorum adstringentium fasciarumque idonearum usu, quantum licuit, absoluere operam dedi, id quod quidem mihi successit, ita tamen, ut remaneret quaedam vaginae relaxatio et ad egrediendum procliuitas.

Iam vero finis imponendus est commentationi nostrae, ut
ad

ad eum redeamus, cuius panegyrim indicere muneris, quo fungor, officium jubet. Est autem is Praenobilissimus Medicinae Candidatus

FRANCISCVS GVILIELMVS ANTONIVS I A C O B I

HAZFELDENSIS,

qui in hac nostra Academia medicinae studio operam dedit, laudesque diligentiae meritas tulit. En vitae ipsius curriculum, quod Ordini nostro exhibuit!

Ego Franciscus Guilielmus Anton. IACOBI natus sum Hochdorffii pago in comitatu Hazfeldensi sito, die XXIX. Septembris anno MDCCCLIX. Patrem veneror Ioannem Samuelem IACOBI Verbi Diuini Ministrum meritissimum, et matrem Ioannam Christianam ex gente ZELLERIANA, hoc tempore Wandersleebii viuentes. Carissimi hi parentes, quantum in illis fuit, omnem curam atque operam adhibuerunt, ut praeceptis religionis Christianae, iisque quibus aetas puerilis informari solet disciplinis a teneris iam unguiculis imbuerer. Quo consilio praeceptoribus optimis me tradiderunt. Posthaec vero ut uberiori instructione fruerer, me in Lyceum illustre Arnstadiense miserunt, ubi etiam ex lectionibus b. Conrectoris LANGBEIN, nec non Rectoris dignissimi LINDNERI magnos fructus percepisse grato animo profiteor. Tribus annis ibi peractis anno MDCCCLXXVII. Ienam me contuli, et die XIX Aprilis, tunc temporis Rectore Magnifico Perill. de SCHELLWITZ, in ciuium academicorum numerum sum receptus. Consistentibus parentibus dilectissimis studio medico totum me tradidi. Qua ex ratione studia mea ita ordinaui, ut in philosophicis praelectiones logicas et metaphysicas Ill. HENNINGSII frequentarem maximo cum emolumento. Ius naturae magno cum fructu et voluptate audiui apud Excell. SCHEIDEMANTEL, Fautorem haud satis aestumandum. In



Mathematicis Ill. atque Excell. WIDEBVRG me docuit. Illustris atque Excellentissimus SVCCOVIVS Physicam mihi explicavit. Ab hoc inde tempore praemissis disciplinis philosophicis, amplum medicinae campum penitus lustrare coepi. Medicinam legalem me docuit Illustris atque Excellentissimus NICOLAI, Facultatis medicae venerandas Senior, Fautor ac Patronus semper colendus; Physiologiam vero, Pathologiam, Materiam medicam, Semioticen, Diaeteticam, Botanicam, artem formulas coninnandi, Historiam medicam literariam, Therapiam generalem et specialem Illustris atque Excellentissimus GRVNERVS, Fautor ac Patronus summe venerandus, de quo mihi vehementer gratulor. Recitationibus Exc. STARKII in chemiam pharmaceuticam, et in morbos eruditorum maxima cum utilitate interfui. Exc. HALLBAVERVM Botanicam et Medicinam forenses explicantem audiui, atque Experientiss. SCHENKIVM in Osteologia, praeceptorem habui.

Me quoque usus est praeceptore in anatomicis, chirurgicis, in arte obstetricia et historia naturali.

Petiit denique praenobilissimus Candidatus ab Ordine nostro ut ad examina consueta admitteretur, id quod ipsi concessum est. Respondit ad quaestiones ipsi propositas et eruditionis suae specimina varia edidit. Qua de re venia ipsi data est, dissertationem suam inauguralem *de anthropophago Bericano* sub praesidio Ill. GRVNERI, Collegae nostri coniunctissimi, die xxx Maii publice defendendi, quo facto summis in Medicina honoribus ornabitur.

Cui ieiur solemnitati ut MAGNIFICVS ACADEMIAE PRORECTOR, S. R. I. COMES ILLYSTRISSIMVS, PATRES ACADEMIAE CONSCRIPTI, VTRIVSQUE REIPVBlicae PROCERES, COMMILITONES GENEROSISSIMI ATQVE PRAENOBILISSIMI, ET SI QVI SVPERSVNT MVsarVM FAVTORES benevole adsint, Ordinis mei nomine oro rogoque. P. P. sub sigillo Facultatis medicae. Ienae a. d. xxix Maii

MDCCCLXXXI.

(L. S.)